



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Governatore Deo
Distribvta**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

Capvt XI. Pauperum diuitias, esse virtutes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

CAPVT XI.

Pauperum diuitias, esse Virtutes.

*Pauperum diuitias esse regnum cælorum
spe & re.*

**Prou. 13,
7.**



Vam verè dixit Salomon? Est quasi
diues, cum nihil habeat: & est quasi
pauper, cum in multis diuitijs sit.

Quid e nim pauperius diuite, cui non
lùm admodum difficile est, intrare in regnũ
cælorum, sed etiam si vult intrare, debet in-
trare per pauperum preces, & ab illis, sti-
pe data, cælum quodammodo emere? Va-
de meritò censetur magna pars diuitiarum,
quas possident, ad pauperes pertinere; siue
deinde titulo iustitiæ, siue charitatis ad eos
pertineant. Quia certè, etsi, vt D. Chryso-
stomus dixit, *Diuitia non sunt peccatum, im-
men peccatum est, eas non distribuere pauperi-
bus.* Atque hinc etiam est quasi pauper, cum
in multis diuitijs sit: nam ad illum pertinent,
quæ diuitibus supersunt. Accedit, quòd
sint *diuitia maxima, non egero diuitijs.* Quia,
si rem rectè ac suis momentis volumus pon-
derare, diuitiæ ibi demum veræ sunt, *ubi i-
nea non corrumpit, profectò necesse est, pau-
peres esse in multis diuitijs, quoniam ipsorum*

**Matth. 5,
3.**

est regnum calorum, non spe duntaxat, sed etiam re, quia etiam adhuc in hac vita degentes potentiam habent, illud alijs, dicto modo, largiendi. Hinc enim Seruator non ait: *Ipsorum erit, sed Ipsorum est regnum calorum*, potestate scilicet. Erit autem etiam possessione, quia, vt sanctissimus Antistes ait, *soli illi, qui se cognoscunt pauperes, & confitentur tibi, Domine Deus, paupertatem suam, ditabuntur à te: quoniam qui se diuites existimant, cum sint pauperes, à tuis diuitijs inueniuntur exclusi.* Et alio loco: *Felicitas magna Christianorum, quibus datum est, vt per paupertatem faciant pretium regni calorum. Non tibi displiceat paupertas tua, nihil ea potest diutius inueniri. Vis nosse, quam locuples sit? Cælum emit. Quibus thesauris conferri possit, quod paupertati videmus indultum? Ac rursus alibi. Vobis dico, pauperes, qui de eleemosyna Christianorum viuitis. Consolamini, consolamini, tribulatio vestra conuertetur in letitiam, & dolor vester in gaudium. Non vobis sit ingratum, quod mendicatis, nec ideò in corde vestro aliquid contra Deum dicatis, quia ille iustus & pius, in omnibus operibus suis. Et ideò te fecit pauperem, vt sufferendo breuem inopiam, aeternam vitam acquireret.*

S. Augustin. lib. soliloq. cap. 15.

Idem in comun. serm. 59.

Idem serm. 3. de Natiuitate.

Et diuitem ideò fecit, ut dum tibi superfluaderet, remedium peccatis suis acquireret. Rectè igitur vereque dixit Christus: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum calorum.*

§. II.

Regnum calorum, quod pauperum esse dicitur, variè accipi.

Quamquam etiam aliud mihi insuper videtur latere arcanum in his verbis. *Regnum enim calorum* non solum est in cælo empyreo, ubi beati cum Christo regnabunt in perpetuas æternitates; verum etiam in terris. Nam variè in diuinis litteris *regnum calorum*, & *regnum Dei* accipitur. 1. Pro vita beata & præmio, quod Sanctis datur, ut cum Christus dicit: *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum calorum*, quia non itur ad cælum verbis, sed factis. Id ipsum intelligit S. Ioan. Baptista, cum ait: *Pœnitentiam agite, appropinquate enim regnum calorum*: dicitur enim appropinquare regnum calorum, quia cum antè clausum fuisset, paulò post per mortem Christi erat aperiendum, ante quam nemo in cælum ingressus est. 2. Pro Ecclesia, ut cum dicitur: *Multi ab Oriente & Occidente venient*

Matth. 7.
21.

Matth. 3.
2.

Matth. 8.
11.

venient, & recumbent cum Abraham, Isaac,
 & Jacob in regno calorum, hoc est, in Eccle-
 sia, filij autem regni eicientur in tenebras ex-
 teriores. Rapuerunt enim, hoc est, extorse-
 runt multi gentiles fidem, Euangelium, Ec-
 clesiam de manibus Iudæorum, qui in pos-
 sessione erant, 3. Pro gratia & renouatio-
 ne Spiritus, & choro virtutum; quo sensu
 ait Christus: *Eccce regnum Dei intra vos est.* Luc. 17.
 Quemadmodum ergo alibi transfiguratio-
 nem suam regnum suum vocavit, non quia
 propriè regnum, sed quia futuri regni ima-
 go erat; ita in illo homine regnum calorum
 esse dicitur, in quo est quædam regni calo-
 rum similitudo. Est autem maxima similitu-
 do in eo, in quo fides obscura claræ visioni
 Dei viam sternit, & spes comprehensioni,
 charitas amori gaudioque respondet, ac
 ceteræ virtutes, per quas nos Deus regit, &
 in quibus regnat; sicut regnat in calo.
 Igitur *beati sunt pauperes, quoniam ipsorum
 est regnum calorum,* hoc est, tanta virtutum
 collectio & plenitudo, vt iam in calo esse
 videantur; quarum possessione, longè sunt
 diuitibus mundi ditiores. In his lucet aurû,
 sed plus lucet fides & virtus in illis. Qua de
 causa vtrosque ita alloquitur D. Augusti-

S. Augu-
stin. su-
per Psal.
105.

Idem in
commun.
ser. 59.

nus: *Aduersus Dominum nolite murmurare. Audite me, o pauperes. Quid non habetis, si Deum habetis? Audite me, diuites, Quid habetis, si Deum non habetis? Qui alibi addit. Ergo videamus, qui aurum non habet, quid habet. Virtutem habet, fidem habet. Omnes virtutes habet. Habet ergo regnum Dei intra se.*

§. III.

Paupertatem, ut virtutum, ita & diuitiarum esse causam,

Prou. 13.
7.
S. Gre-
gor. in
Euang.

Quamobrem est quasi pauper, cum in multis diuitiis sit. Quemadmodum Cræsus aliquis, est quasi diues, cum nihil habeat. Si quidem ut D. Gregorius testatur, sola diuitia vera sunt, quæ nos virtutibus diuites efficiunt. Si ergo, fratres, diuites esse cupitis, veras diuitias amate; si culmen veri honoris quaritis, ad caeleste regnum tendite. Si gloriam dignitatem diligitis, in illa superna Angelorum curia adscribi festinate. Est autem Angelorum curia, regnū Dei, ad quod tenditur per virtutes, hoc est, per regnum, quod Deus habet in nobis. Quod si ergo paupertas ad virtutes viam sternit, efficitur & veras diuitias esse pauperum, & regnum cælorum non solum ad illos pertinere, verum etiam intra illos

illos esse. Quemadmodum ergo diuitiæ occasio sunt omnium vitiorum, vt supra monstravi, ita paupertas ansam præbet omnium virtutum. E corporis morbo, vt ait Plutarchus, quidam hoc excerpunt commodi, quòd vacant negotijs, quibus distinebantur, & quosdam labores obiecti reddidere validos. Sic multis exilium, paupertas, naufragium, adde & bellum, & quidquid infestus secum fert hostis, occasio fuit philosophandi.

§. IV.

Paupertatem esse otij inimicam, laboris patronam.

Atque inprimis constat, sicut otium vitij aditum aperit, ita labore industriaque virtutes comparari. *Multam enim malitiam docuit otiositas, & cum dormirent homines, venit inimicus, & superseminauit Zizania in medio tritici, & abiit.* Nimirum sicut aqua, ait B. Laurentius Iustinianus, *qua caret decursu, ac iacet in foveis, putrescit, ac humano vsui aliena efficitur, repleturq; animalibus venenatis & noxijs; ita & corpus otij tabe confectum concupiscentiarum ac voluptatum carnalium parit ac nutrit insaniam.* Quod Valerius hoc exemplo confirmat. *Appian Claudium crebro*

Eccli. 33.

29.

Matth.

13. 25.

B. Laur.

Iustin.

lib. de

perfect.

gradib.

c. 9.

Val. Max.

lib. 7.

solitum

solitum dicere accepimus: Negotium populo Romano melius, quam otium committi. Non quod ignoraret, quam iucundus tranquillitatis status esset; sed quod animaduverteret, praepotentia imperia agitatione rerum ad virtutem capessendam excitari; nimia quiete in desidia resolui. Et sane negotium nomine horridum, civitatis nostra mores in suo statu continuit, blanda appellationis quae plurimis vitis respergit. Diogenes certe otiosorum negotium amorē esse dicebat, quod hic affectus potissimum occupet otio deditos. Ita enim fit, ut dum otio vacant, in rem negotiosissimam incidant. Et Poeta:

Otia si tollas, periēre cupidinis arcus,

Contempta³ jacent, & sine luce facit.

Ex aduerso autem, labor & occupatio vitia excludunt, virtutem & laudem pariunt.

Etenim ignavia, ait Sallustius, nemo immortalis factus est; neque quisquam parens, liberis ut aeterni fierent, ignaviam optavit, magis ut boni & honesti vitam suam agerent. Quemadmodum autem diuitiae faciunt otiosos, ita paupertas & egestas laboriosos. Vide mihi a prima aetate pueros nobiles, quibus non illecebris trahendi sunt ad studia litterarum honestissima (nam ad mechanicos labores animum adijcere, piaculum est) aiunt se

Laert.
l. 6.

Sallust. in
Iugurth.

non velle fieri Doctores, satis habere opum cum progenitoribus; non opus esse, ut literis ac scientijs se alant. Hinc vel obiter libant libros, vel toto anno eos non aperiunt pulveribus plenos, sed *conchas legunt*, ut dici solet; sed hospitia, sed sphaeristeria, sed lustra adeunt, sed in siluis feras quarunt; immò in urbibus lupas. At pauperum filij ab ipsa rerum indigentia ad laborem impelluntur; si enim non volunt olim esurire, more parentum, artes discunt, quibus se alant. Hinc, quando semel animum ad studia literarum appulerunt, totos sese Musis dedunt, quarum ope sperant, se supra vulgus, atque ex inopia emersuros. Quod idem videre est etiam in adultis, honestè se sustentare cupientibus, illi enim utilissimis cogitationibus mentem implent, itaque se occupant negotijs ferijs, ut ludis, poculis, conciliabulis malorum, impudicorum angulis, Baccho, Veneri, & quæ alia fert otium, vacare non possint; cum ne ad aures quidè scalpendas sibi otium esse arbitrentur. Quare, ut à non nemine *ignava dicta est opulentia*, ita vicissim *industriam esse paupertatem*, paulò post ostendemus. De ijs autem, qui voluntariè sunt pauperes, etsi rectè dicatur:

Nemo

2. Tim. 2.

4.

Senec.
ep. 1.Cic. 1. 3.
de offic.

Nemo militans Deo, implicat se negotijs saecularibus; tamen certum est, quod nulli rei magis dent operam, quam ut ne horæ quidem quadrantem sinant abire otiosum, sciunt enim ambulandum esse dum lucem habent, & serendum esse eis, qui volunt tempore suo messem colligere. Vnde aiunt: Omnia aliena sunt, tempus tantum nostrum est. Ac sanè vel sic quædam tempora nobis eripiuntur, quædam subducuntur, quædam effluunt. Turpissima tamen est iactura, quæ per negligentiam fit. Hanc iacturam ergo qui agnoscunt religiosi, iam legunt, iam scribunt, iam orant, ac ne nihil agant, vel corbes texunt, dantque id vnicè operam, ut orationem lectio, lectionem meditatio excipiat; tunc maximè occupati, quando diuini rebus occupantur. Quo pacto Scipio Africanus, si quando vacans à negotijs bellicis in litteris versaretur, dicere solebat, se numquam minùs otiosum, quàm cum esset in otio.

§. V.

Paupertas humilitatis mater est, sicut superbia filia diuitiarum,

De humilitate, seu animi submissione, quid multis disputabo? sicut diuitiarum

vermis

vermis est superbia; ita humilitatis radix est paupertas. Si enim humilitas, teste D. Bernardo, est virtus, qua verissima sui cognitione sibi ipsi quilibet vilescit; quis sibi vilior videtur, quàm pauper? Quis verius dicere potest: *Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei; neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me?* Pauper non se vestit splendide, non fert gemmas in auribus, non annulos in digitis, non torques aureos circa collum. Non epulatur opipare, non ædificat magnifice: sed in humili degit casula, & decote panno tectus, de eo vivit, quod rus parit. Quantæ humilitatis fuit Ruth? quæ *cadens in faciem suam, & adorans super terram*, indignam se rata est vt peregrina nosceretur, seq; ancillam vocitans, Domina facta est. Vnde tam humilis evasit? Pauper erat. Maria quoque Virgo, nonne illa est, cuius Deus *respexit humilitatē*, tamquã, *ancilla sua*, atque idcirco eam in suam Matrem exaltauit? nempe eadem illustris fuit virginitate, paupertate, humilitate. Inde digna erat, quæ & maternitate emeretur. Nimirũ hæc est via ad verũ honorem. Nam *qui se humiliaverit, exaltabitur, qui autem se exaltauerit, humiliabitur.*

Atque

S. Bern
nard de
gradib.
Humil.

Psal. 130.

Ruth. 2.
10.

Luc. 1.48.

Matth.
23. 12.

S. Chryf.
in tract.

Quod
nemo læ-
ditur ni-
si à se
ipso.

Atque hac ipsa de causa docet D. Chryso-
stomus, diuitias esse fugiendas, quia titulis,
& pompis, & superbiæ alimenta ministrant.
Verba illius sunt: *Sed honores, inquit, con-*
ferunt diuitia, & inimicos facilius vlti-
mem præstant, & ob hoc videbitur necessarium
esse opus diuitiarum, quæ vitijs ministrant, & con-
tribuant effectum, atq; inanes ambitionum bul-
las instant amplius, & extollunt in maius, quod-
que superbia malum exigunt, tumidius. Immo pro-
his maxime erant diuitia fugienda; hoc enim
est bestias feras homines in animis suis collocare,
& in pectore nutrire. Et iterum diuitia suadent,
ut honore quidem vero caelestiq; careatur; salu-
sum verò hunc veri illius colore solum, & simi-
lata imagine fucatum requiri honorem, non ve-
ritate, sed nomine. Sicut enim meretricis vultus
plerumq; cum fœdus, & turpis est, per natu-
ram, facis, & coloribus pigmentatus ostenditur;
ad decipiendos, qui ignorant, quid sub velamine
illius faci contegatur, sic & diuitia faciunt, cum
adulatorum voluit honorem videri, neq; voces
illius populi, per quas iudicibus acclamatur, et
veritate proferuntur, sed ipsa sunt, quibus fuc-
tum nomen depingitur honoris: nam si conscien-
tias interrogas acclamantium ibi, inuenies apud
unumquemq; eorum mille te capitibus accusari
Deniq;

Denique ubi metus cessauerit potestatis, & publica pompa fuerit scena resoluta; tunc videas quanti oblatrantes, quanti obloquentes, quanti insimulantes, & hi omnes illi sunt, qui prius acclamabant, & immensis te laudibus extollebant. Hæc tu honorem dicis? & hæc diuitijs quærenda credis, quæ etsi sponte adessent, recusanda erant? plus enim quidem odij, quam amoris acquirunt. Sed, si vis, ostendam tibi honorem verum. Honor virtus animi est, hic honor neque à Caesaribus præstat, neque adulatione conquiratur, neque pecunia preparatur, nihil in se fucari habet, nihil simulati, nihil occulti: huius honoris successor nullus est, accusator nullus, nullus ingratus: honor hic temporibus non mutatur, neque patitur tyrannos, nec pietæram tabula metuit aliquando esse delendam. Hunc verum honorem spectat humilitas, quærit paupertas: falsum illum horret, fugit, execratur, quem diuitiæ pariunt. Hinc, sicut pecunia & superbia, quodam velut foedere iunguntur; ita vicissim plerumque & paupertas & humilitas sociantur; proq; vano honore verus honor, & potentia quædam supernaturalis comitatur. *Argentum* Aq. 3. 6i
 & aurum non est mihi, ait Petrus, qui reliquit omnia, quod autem habeo, hoc tibi do:

in Nomine IESV Christi Nazareni surgere
ambula. Plus fuit vsum membrorum dare,
quàm aurum & argentum; cùm & ipsi auari,
quid non auri & argenti darent, vt vel
podagram à se excuterent, vsumque pedum
recuperarent?

§. VI.

Amor paupertatis fons liberalitatis.

Supra c. 2.
§. 3.

Auaritia, quæ cùm diuitijs crescit, pau-
pertatem voluntariam habet è diametro re-
pugnantem. Nam de ijs, qui eam inuiti fe-
runt, non loquor, in prima scilicet classe
suprà ab Hugone comprehensis. Quisquis
enim paupertatem amat, non amat pecu-
nias, sed vilipendit, spernit, spargit, abij-
cit. Quare nemo voluntario paupere est li-
beralior. Siquidem liberalissimus est, qui
omnia donat. Donat autem omnia, qui om-
nia, propter Deum, vel sibi patitur liber-
ter auferri, vel vltro dat pauperibus, aut
templis, aut Dei amicis; atque hac ipsa
liberalitate, non tantùm ostendit, se pau-
pertatem diuitijs anteferre, sed etiam verè
dominum esse suarum diuitiarum. Nam,
teste S. Hieronymo, *Qui diuitiarum seruus
est, diuitias custodit, vt seruus; qui autem
seruitutis discussit iugum, distribuit eas, vt*

Domini

Dominus. Inueniuntur quidem & diuites liberales, pauci tamen eorum sunt promi magis, quàm condi; cùm interea vltro nei pauperes plenis modijs opes suas in egenos profundant. Immo, si liberalitas est virtus bene dispensandi diuitias in vsus bonos sibi suisque, & alijs; nemo talij paupere vel sibi, vel suis, vel alijs meliùs pecunias suas dispensat. Quis enim maiores facit largitiones, sine spe retributionis, in hac terra? Etsi parum habet, non tamen parum dat, qui omnia dat. *Uberior est nummus ex paruo, quàm thesaurus ex maximo: quia non tantum quod datur, sed quantum desiderat, perpenditur. Nemo plus tribuit, quàm qui sibi nil reliquit,* ait S. Ambrosius. Animus vocatur liberalis & manus; sed manus propter animum. Quantum ergo animus est, tanta est liberalitas. Potest igitur & in paupere, qui vel parum, vel nihil habet in manu, magna liberalitas esse; quia magnus illi sæpe numero animus est diuitias bene dispensandi. Quod vel ex Seneca audi, ita enim loquitur: *Si beneficia in rebus, non in ipsa benefaciendi voluntate considerent, eò maiora essent, quò maiora sunt, quæ accepimus. Id autem falsum est, nonnumquam enim nos magis*

§ 2

obligat,

S. Thom.
2. 2. q.
117. 2. 1.

S. Ambros.
lib. 1. de
viduis.

Senec.
lib. 1. de
beneficijs
c. 7.

obligat, qui dedit parua magnificè, qui regnum
 aequauit opes animo: qui exiguum tribuit, sed li-
 benter, qui paupertatis suae oblitus est, dnm
 meam respicit, qui non voluntatem tantum iu-
 uandi habuit, sed cupiditatem, qui accipere
 putauit beneficium, cum daret; qui dedit tam
 quàm non recepturus, recipit tamquam non desis-
 set: qui occasionem, qua prodesset, & occupa-
 uit, & quaesuit. Contra ingrata sunt, ut dixi,
 licet re ac specie magna videantur, qua danti
 aut extorquentur, aut excidunt: multoq; gra-
 tius venit, quod facili, quàm quod plena manu
 datur. Exiguum est, quod in me contulit, sed
 amplius non potuit. At hic, quod dedit, ma-
 gnum est: sed dubitauit, sed distulit, sed cum
 daret genuit, sed superbe dedit, sed circumu-
 lit, & placere, non ei, cui prestabat, voluit.
 Ambitioni dedit, non mihi. Socrati cum mul-
 ta multi pro suis quique facultatibus offerrent:
 Æschines pauper auditor, nihil, inquit, dignum
 te, quod dare tibi possim, inuenio, & hoc vni-
 modo pauperem me esse sentio. Itaq; dono tibi,
 quod unum habeo, meipsum. Hoc munus,
 rogo, qualecumq; est, boni consulas, cogiteq;
 alios, cum multum tibi darent, plus sibi reli-
 quisse. Cui Socrates, Quidni tu, inquit, mihi
 magnum munus dederis, nisi fortè paruo te assi-
 mas

mas? Habebo itaque cura, ut te meliorem tibi reddam, quam accepi. Vicit *Æschines* hoc munere *Alcibiadis* parem diuitijs animum, & omnem iuuenum opulentorum munificentiam. Vides, quam animus inueniat liberalitatis materiam, etiam inter angustias? Videtur mihi dixisse: nihil egisti, fortuna, quòd me pauperem esse voluisti: expediam nihilominus dignum huic viro manus; & quia de tuo non possum, de meo dabo. Neque est, quod existimes illum vilem sibi fuisse, qui pretium se sui fecit: ingeniosus adolescens inuenit, quemadmodum *Socratem* sibi daret. Non quanti quaq; sint, sed à quali dentur, perspicendum. Hæc de pauperis Philosophi liberalitate *Seneca*.

§. VII.

Paupertas etiam per miracula fit liberalis.

Quid quòd & *Deus*, pauperibus suppeditat, vnde possint, non solum muneribus animũ, sed etiam animo munera æquare, etiam cum aliàs nihil habent; vel certè parum. Dixit *Abbas Euagrius*, fuisse quemdam fratrem, qui nihil habuit in substantia sua, nisi tantum *Euangelium*, & ipsam vendidit in pauperum nutrimento: dicens quodam verbo quod memoria dignum est commendari:

S 3

Ipsum

Ex lib. 5.
de vitis
PP. &
Ruffin.
lib. 3.
num. 70a

Ipsam etiam, inquit, verbum vendidi, quod iubet, Vende omnia, & da pauperibus. Abbas Theodorus, cognomento de Pherme, habebat tres codices bonos. Et cum venisset ad Abbatem Macarium, dixit ei: Habeo tres codices, & proficio ex lectione eorum. Sed & fratres petunt eos ad legendum, & ipsi proficiunt. Dic ergo mihi quid debeo facere? Et respondens senex dixit: Boni sunt quidem actus: sed melius omnibus est nihil possidere. Quod cum audisset, abiit, vendidit memoratos codices, & dedit indigentibus pretium ipsorum. Quin et munera pauperum extendit Deus, ut extenderet liberalitatem. Indicat hoc hydria farinae, & lecythus olei, ex quibus Elia elemosyna est collata. Nam hydria farina non defecit, & lecythus olei non est imminutus. Pari pacto a paupere Christo dati quinque panes, & duo pisces in immensum multiplicati sunt. Ita S. Lydwinae pauperis Virginis vinum, quod pauperibus dedit, in vasculo creuit. Quid, quod pauper adeo fuit opulentus, ut diuitibus, & adeo regibus ipse daret? Carilephum Presbyterum bubali colla mulcentum, reperit inter venandum Francorum rex Childebertus, eum verbis asperis ex eo loco facessere iussit. Ast ille memora

3. Reg. 17.

16.

Matth.

14. 17.

Sur. 1. Iulij.

memor patientiæ ac mansuetudinis Christi, mitissimè respondens, regi etiam vini poculum obtulit, ex vuis, eo loci prodigiosè expressis. Rex contempto musto rustico, cum indignatione, abscessit. Sed equo obrigescente, diuinitus coactus est subsistere, atque opem Carilephi implorare. Et ope, & exhortatione adiutus, oblatis priùs poculi potum jam vltro expetijt. *Quod, cum esset allatum sua manu vir Dei obtulit regi vino plenum, qui illud hilariter accipiens, totum vinum exhausit. Inde etiam alijs, qui aderant, bibentibus, rogabat eos sacerdos Christi, ut tertio, & quarto biberent, usq; ad satietatem, dicens de pleno semper impertire eum, quem non opprimat in largiendi voluntate paupertas: nec unquam animam diuitem facultate destitui: nec posse abundare hominem mente mendicum.* Ita factum est, ut copiosa multitudo, quæ cum rege erat, ad satietatem biberet, nec vinum tamen in vase minueretur. Sed quid mirum, si vas plenum vino remansit sacerdotis Carilephi meritis, cum ipse author vite, qui quinq; panibus quinque hominum millia satiauit. promiserit, maiora eos facturos, qui in eius nomine essent credituri? Ecce quomodo rex fuerit quasi diues in silua, cum nihil haberet; & Ca-

rilephus quasi pauper, cum in multis diuitijs esset? Tam diues est paupertas, vt liberalis esse queat etiam in reges; & si deficiat, quod donet, etiam miraculis abundet.

§. VIII.

Paupertas Pacis & Concordia mater, sicut auaritia discordiarum.

Diuitiæ scopus sunt inuidiæ, litium, discordiarum; paupertas amoris, pacis, concordia est incitamentum. Quantos tumultus moueant opes, supra docuimus. Quid conferat paupertas ad pacem Plato testatur, qui ait: *Felix & beata erit ciuitas illa, in qua hæc duo verba MEVM & TVVM non audiuntur, eò quòd communibus rebus, quæ alicuius estimationis sunt, quoad fieri possit, ciues utantur.* Cui enim citius inuidetur, quàm plus habenti? pro qua re sæpius litigatur; quàm pro pecunia? quid magis facit discordes, quàm diuersæ possessiones? Vnde & in religiosis Ordinibus, tanta est concordia; quia ibi, vt amicorum, omnia communia habentur, & duo illa verba MEVM ac TVVM, quàm potest diligentissimè eliminantur. Duo fuere religiosi viri, qui multis annis, sub vno tecto, in vna mensa, simul orarunt, simul cœnarunt; simul labori & quieti vacarunt.

Suprà
c. 5. §. IX.
Act. 4. 32.
Stobæus
ferm. 72.

carunt. Vna vtriusque voluntas, vna anima esse videbatur. Numquam inter se verbis, numquam factis conflixerunt. Incidit aliquando sermo de discordia, cum iunior quæsiuit, quid esset discordia? cui senior respondit: Age, ostendam tibi, quid sit discordia, & libro in medium posito, dic, inquit, *Hic liber meus est.* Tum iunior obsecundans: *Hic liber, inquiebat, meus est.* Cui senior dixit: *Non est tuus iste liber, sed meus est.* Quo audito, iunior illico in genua accidens, *si tuus est,* inquiebat, *habeto illum tibi.* Senior igitur hoc epiphonema adiecit: *Si quidem ita affectus es,* fili mi, numquam, quid sit discordia, experieris. Vbi enim MEUM & TVVM locum non habet, ibi dissidium est eliminatum; quod nusquam aliqui non subit, etiamsi ades pessulis, & repagulis occludantur, si MEVM & TVVM prius intrauerunt. Est valde eius rei luculenta historia, & tragico cothurno memoranda, quam Bernardinus Scardeonius in memorias hominum misit, de geminis fratribus Limineis ex antiquissima familia oriundis. *Legimus,* inquit, *ex hac gente fuisse aliquando duos fratres, qui per aestatem, ruri, noctu, post cœnam, cum ambo sub dio, in atrio domus, de*

S s

dinersis

Bernardinus Scardeonius. l. 3. class. 13. in descriptione urbis Patavij.

diuersis rebus, diuersa inter se loquentes starent,
 suspicientes, & contemplantes innumeras stellas,
 quas tunc fortè sereno calo, fulgere videbant,
 per iocum alterum, velut ridendo, dixisse: Pro-
 cari se tot sibi boues esse, quot stellas fulgere con-
 spiceret. Alterum mox itidem per iocum respon-
 disse: Vinam mihi pratum esset, instar cali la-
 tum; & ad fratrem conuersum dixisse: Vbi
 tuas pasceres boues? At illum, In tuo prato, di-
 xisse. Rursum alterum, Si nollem? Te etiam
 inuito: alterum respondisse. Tunè me inuito
 inquit. Te etiam inuito, ille respondit. Et ita
 altercando risu in iram, & mox ira in iram,
 & in serium furore conuerso, dum neuter alte-
 ricedere vult, exertis utrimq; gladijs, quibus
 fortè ambo erant infelicitè accincti, se inuicem
 transfixerunt. Et hinc vnus, illinc alter humi
 decedentes exanimè in suomet sanguine volu-
 tantur, donec à domesticis, qui eos altercantes
 audierant, delati intra domum fatali hora pro-
 perante extincti sunt. Hoc facit vel fictum
 & iocosum MEVM ac TVVM; quid non pos-
 sit serium? Cùm ergo absit à paupertate tam
 MEVM, quàm TVVM, abest etiam hæc
 caussa litium ac controuersiarum, quarum
 locum pax aurea occupat. Quam, cùm
 poscamus omnes, cur non poscimus, vel
 saltem

saltem patienter ferimus paupertatem?

§. IX.

Paupertas temperantiae mater.

Eadem etiam sobrietatem ac temperantiam promouet, atque quæ ex ea nascitur castitatem. Quemadmodum enim nummati habent, vnde cellas, ac culinas, atque inde ventrem impleant; ita pauperibus deest copia vini, quia deest copia nummi; neque eiborum lautitias mensis inferunt, apud quos caput cœnæ est olus, etiam cum festiue epulantur. Quare si non virtute, saltem necessitate frugalis est mensa egenorum. Corpus autem, quod non saginatur, minus utique luxuriat. *Abstinentia ciborum, contra hoc vitium fortissima est*, ait S. Gregorius, *Si enim ignis libido est, subtrahis igni materiam, cum cibos subtrahis; & vinum præsertim in quo, ut est apud Apostolum, luxuria est.* Et D. Ambrosius: *Pascitur libido conuiujs, nutritur delicijs, vino accenditur, ebrietate flammatur.* Quod si igitur temperantia est anima affectio, cœercens, & cohibens appetitum ab ijs rebus, que turpiter appetuntur, vt S. Augustinus eam virtutem definit, & si adeo delictationem corporis, in vsu cibi & potus inhonestarumque voluptatum moderatur; profe-

S. Greg.
in lib. 1.
Reg. l. 5.
cap. 14.
S. Ambr.
lib. de
pœnit. 1.
cap. 14.
S. Augu-
stin. lib. 1.
de lib.
arb. c. 13.
S. Thom.
22. q.
141 & A-
ristot. 3.
Ethic. c.
10.

S. Hieron ep.
150.

1. Cor. c.
7. 33.

perfectò hanc virtutem egregiè fulcit paupertas. Quare Religiosi vnà & paupertatè vouent, & castitatem. *Vis esse perfecta,* scribit ad Hedibiam S. Hieronymus, & in primo stare fastigio dignitatis? *fac. quod fecerunt Apostoli: vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere Saluatorem, ut nudam solamq; crucem nuda sequaris & sola.* Facile enim est, cogitare, superato amore diuitiarum, Apostolos & matrimonijs carere voluisse. Nam si vxores habere voluissent, solliciti esse debuissent de modis, quibus familia alenda fuisset. Siquidem, *qui cum vxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est.* In quæ verba D. Anselmus ita scribit: *Sollicitus est, quæ sunt mundi, &c. id est, studet multiplicare diuitias variamq; supellectilem, ut habeat, unde pascat vxorem, & filios.*

§. X.

Pauperis oratio quàm potens?

Nihil de obedientia dicam, cùm constet, diuites imperia magis affectare, quàm obsequia; & mandare malle, quàm obsecundare: pauperes autem vt ad seruiendum promptos, ita & paratos ad obediendum. Quòd si autem inopū est, se se libenter submi-

mittere iugo potentiorum, atque illis parere, quantò maiore reuerentia se Deo subiicient atque ab illo opem petent? Quòd si oratio humiliantis se penetrat nubes, & tantò altiùs ascendit, quantò se orans profundius demittit; nemo profectò humilior esse solet, quàm pauper, ad quem se Deus ipse inclinatur, de quo David ait: *Respexit in orationem humilium, & non spreuit precem eorum.* Quisunt isti humiles? illi qui alibi pauperes vocantur; ita enim dicitur: *Oculi eius in pauperem respiciunt.* Quid ergo? an diuitum orationes non admittit Deus? Respondet Chrysológus: *Deus suscipit pauperes, sed diuites non repellit; habentes suscipit, & ad se attrahit non habentes.* Nimirum sanè diuites non repellit, si ipsi venire, & pulsare non negligant, si institerint, vt admittantur, non excludentur liminibus; sed pauperes attrahuntur, quia quasi velint nolint adducuntur. quo pacto? per orationem qua ad Deum ascenditur, & mens in Deum eleuatur. Magnum tamen est inter pauperis, & diuitis orationem discrimen. Orat diues, quem grauant opes: mille curis distrahitur, mille perturbationibus retrahitur: oratio talis ascendit, sed tam languens immo frigida,

Eccli. 35.
21.Psal. 101.
18.Psal. 9.30.
Chrysológ.
log. 1er. 28.

da,

da, ut loco beneficij haberi debeat, si non repellatur, & dicatur: *nescio vos*. Orat & pauper, sed quia nudus est, & saeculi impedimentis liber, immo à calamitatibus etiam impellitur, ideò oratio eius expeditius, sine onere, ardentius cum calamitate ad caelum euolat, & velut in funiculis Adam attrahitur. Agite igitur, siue sponte, siue per vim pauperes, hoc vobis nunc superest, vos, oratio, & affectus vester ad Deum tantò potentius attrahitur, quantò pauciores habet impedientes. Nihil ergo vobis deesse dicite: omnia potest, cuius oratio accessum habet ad omnipotentem. Hæc solem stetit in medio caelo; immo etiam ad decem horas retroegit. Talia qui potest, cur queratur, sibi bouem abactum? aut ademptum peculium? Quamquam omnino, qui queritur, talia non potest. Voluntarij enim pauperis oratio ad Deum attrahitur, qualis fuit D. Dominici, qui auditus est dicere, nihil se vquam à Deo precibus contendisse, quod non impetrârit.

§. XI.

Paupertas spe & fiducia itemq; iustitia & fortitudine locuples.

Ecce quàm potens sit pauper Dominicus!
Nihil simile audet dicere vel potentissimus

Impe-

Iosue 10.
4. Reg.
20.

Petr. Ri-
bad. in
vita eius.

Imperator. Quare & spes, & fiducia in diuinam prouidentiam coniungi solet cum paupertate. Quin & iustitia: nullus enī alterius bonis insidiabitur, quæ sua sponte censeret contemnenda & abijcienda. Nec iudex amans paupertatis, se pecunijs corrumpi sinet: immo iam olim paupertas fuit iudicis incorrupti argumentum. Et sunt, qui, ob paupertatis meritum, Apostolos totius mundi iudices putant à Christo constitutos. Quin & fortitudo, atque animositas ad pericula subeunda sociatur paupertati. Si enim, *non fit sine periculo facinus magnum & memorabile*, nemo paupere periculum potest facilius contemnere. *Rebus in angustiis facile est contemnere vitam.* Quid namque non audet pauper? cū enim parum habeat, quod amittat, per tela, per ignes intrat; per medios hostium cuneos penetrat. Miles, qui multa plaustra spolijs plena secum circumuehit, non sibi tantum, sed prædæ quoque suæ metuit. Vnde meritò hæc talia vocantur *impedimenta*. O quantos suæ opes retrahunt à dimicando! Quàm multi, cū classicum canitur, ipso auro suo magis expallescent! tunc solum fortes, quando poculis est certandum. Do-
mi

mi milites gloriosi, in campo fugaces cerni
qui Mercurium in pedibus, non item Ma-
rtem in dextera habent. At vide mihi ali-
quem de grege pannosum, osseum militem,
qui nihil amittere potest nisi famem, & si-
tim, si moritur; cum standum est, stat ut ru-
pes; cum pugnandum, pugnat ut Achilles;
certè tam citò de fuga non solet cogitare,
potestque liberiùs dicere sibi:

Virgil.
lib 9.
Æneid.

*Est hic, est animus lucis contemptor, &
istum.*

*Qui vità bene credat emi, quò tendis, ho-
norem.*

Multa, quæ fortitudo facit, facit pauper-
tas, nam & ipsa contemtrix est timendo-
rum, & animum aduersus ea, quæ possunt
enenire format; exilia, bella, naufragia,
incendia, famem & sitim meditatür. Pau-
peribus dixit Dominus: *Cùm persequerentur
vos in ciuitate ista, fugite in aliam.* Quasi di-
xisset: *Multa exilia patent fugienti. Patria
est, ubicumque vir fortis sedem sibi elegerit. Se-
dem autem sibi & pauper vbique eligere po-
test, & pro patria habet totum mundum.*
Vel hinc satis diues. Quia, ut Cicero ait:
*Omnes sunt diuites, qui calo & terra frui pos-
sunt.*

Matth.
10. 23.

Q. Cur-
tius lib. 5.

Cic. 1. 3.
de offic.

S. XII.

*A paupertate virtutum, non criminum occasio-
nem accipiendam esse, docet Lazari
exemplum.*

Ad hanc animi constantiam & robur
Deus homines per incommoda paupertatis,
exercet. *Ecce excoxi te, inquit, sed non qua- Isa. 48. 10.
si argentum, elegi te in camino paupertatis.* Ad
hoc paupertas à benigno Numine immitti-
tur; non ad blasphemandum, non ad furan-
dum, non ad alia indigna committenda, vt
impatientes, & diuinorum consiliorum
ignari impiè cauillantur. Qui ex prima pau-
perum classe occasionem virtutis conuer-
tunt in ansam vitiorum, illi sanè vt egesta-
tem à se auerruncant, prædis, rapinis, latro-
cinijs, & omnibus malis artibus pecuniam
venantur. In illis autem *non paupertas hac,
sed pusillanimitas facit,* ait S. Chrysostomus. S. Chry-
ost. hom.
quòd ne-
mo lædi-
tur, nisi à
se ipso.
*Nam & Lazarus pauper fuit, & valde pau-
per, cuius paupertati addebatur etiam agritu-
do, & egritudo amarissima, qua ipsam pauper-
tatem redderet graniorem; vis enim morbi so-
latia multa deposcebat, & nullum penitus pau-
pertas poterat adhibere: horum enim alterum,
etiamsi solum sit, graue est, & doloribus plenum.
Cum autem simul inunguntur, nec adest, qui
suble-*

T

suble-

subleuet, intolerabile videtur malum, ignis inextinguibilis, & dolor sine remedio, tempestas plena naufragijs, anima simul & corporis flamma. Erat praterea huic beato his omnibus malis aliquid adhuc amplius, vicinitas scilicet diuitis epulantis quotidie luxuriosè; & ipse adiebat huius epulantis foribus, ut eum multò amplius excruciant opes in oculis posita, quae uidebantur; quam illa, quae per penuriam dederant. Multò enim grauius affligit animam, quòd cogitur carere bonis, quae uidet, quam his egere quae non uidet. Lazarum sic dirasemes, & amarae agritudines vastabant: Minus uerò nullus, nec ullum misero solatium ex diuitis mensa, quae parasitos, & luxuriosos, usq; ad distensionem & crapulam satiabat: nec mica quidem, quae proieciabantur, Lazaro periclitanti dabatur. Et tamen ita pertulit hanc tantam diram, tamq; teterrimam paupertatem, ut neq; amarum sermonem, neque blasphemiam uerbum proferret, aut illicitum: sed sicut aurum uehementius ignitum, purius & sincerius redditur; ita etiam ille passionibus, & cruciatibus examinatus, clarior, & splendidior per patientiam reddebatur. Vides, quomodo nemo leditur à paupertate, sed à seipso? Quid enim dicam tibi morbus corporis? quid penuria rerum omnium? quid

quid irruentes ulceribus canes? quid vicinitas
 diuitis auari ladere potuit athletam DEI? aut
 in quo his omnibus resolutus, aut fractus est a
 virtute animi sui? Nihil omnino. Quin immo
 & angustiis rerum magis solidatus est, & huius-
 modi illi corona parata sunt, unde infelicio-
 r tabatur, inde ei palma victoria; inde aeterna
 remuneratio, unde cruciatus ei multiplicaba-
 tur, & iniuria; fames illa abundantiam pra-
 parabat futurorum bonorum; egritudo illa vi-
 tam conciliabat aeternam: ulcera illa, qua ca-
 nes lambebant, splendorem gloriae per Angelos
 ministrandum ferebant inhumani & crudelis
 diuitis despectus, & ad januas eius cubile con-
 temtum patris Abrahamae piissimos sinus, & bea-
 titudinis eius consortia promittebant. Idem in
 Vitis PP. dixit Abbas Hyperichius: Thesau-
 rus monachi est voluntaria paupertas. Thesau-
 riza ergo tibi, frater, in caelo, quia ibi, ad re-
 quiescendum, sine fine sunt saecula. Quae cum
 ita sint, & reuera virtutum thesauri omnes
 Pigmalionis opes superent, qui apud pe-
 cuniarum contemptores reperiuntur,

Quid quereris, pauper, Croeso ipso ditior? illi
 Atreula diues erat, mens opulenta tibi est: